



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

Vtrùm Sacramentalis Absolutionis dilatio Paenitenti, cujus confeßione  
facta moraliter certò non constat indispositio, sit injuriosa?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

## CAPUT XVIII.

*Verum Sacramentalis Absolutionis dilatio Pœnitenti, cujus confessione factâ moraliter certò non constat indispositio, sit injuriosa?*

**E** St hæc communis objectio multorum ore pervulgata, quam & num. 28 i. innuit Appendix, Pœnitentem confessione factâ habere jus ad absolutionem, & proinde hæc illi citrà injuriam nequeat negari, nempè nisi ejus constet indispositio.

Verum jam suprâ dictum est, hujusmodi esse hoc pœnitentiæ forum, ut in illo Minister, qui judicis partes agit, non nisi eum quem à peccato debitè conversum prudenter existimat, judicando possit absolvere; ac propterea parum est, si pœnitentis non constet indispositio, sed constare debet legitima ejus dispositio: constare, inquam, morali illâ certitudine superiùs expositâ, cujusmodi hac in re communiter haberi possibile est: ejusmodi proindè veræ pœnitentiæ ac conversionis indicia à pœnitente proferenda sunt, ut hoc modo debitam ejus dispositionem

228      C O N V E R S I O  
tionem subsistere, prudenter possit confessarius judicare: à quo dum deficit, dum ejus dispositio dumtaxat ostenditur, aut ut summum probabilis, eâ nempè probabilitate quæ utrique contradictorio potest esse communis, si justam necessitatem excipias, prætereundum non potest statim absolvi, ac per hoc nec apparens fit ei injuria, si non nihil illi differtur absolutio, ut interea perfectius converti annitatur, ac dignis pœnitentiæ fructibus plenius se probet ritè dispositum.

§. I.

*An pœnitenti ritè converso possit quandoque differri absolutio?*

*Loco citat.  
num. 167.  
168. 169.*

**S**ed quid dum hujusmodi veræ conversionis indicia profert pœnitens, ut eum jam Sacramenti effectûs capax judicet confessarius? an tum aliquando non injuriosè absolutio posset ipsi differri? Movet hanc quæstionem jam supra memoratus Joannes de Lugo, atque affirmativam partem dicit communiter à  
„Theologis afferri: Et quidem, inquit,  
„in hoc etiam puncto aliqua certa sunt,  
„in quibus omnes conveniunt. Primò,  
„posse ex consensu pœnitentis differri  
„absolu-